



CIL II²/7, 219

7, 219 Parallelepipedum ex lapide calcario caesio infra fractum, supra imminutum (20,5) × 23 × 11. Posteriore tempore usui fuisse limen patet ex cardinum foraminibus in partibus antica et postica sitis. Area titulo inscribendo destinata excavata et cymatio inverso cincta; similiter ornata sunt latera et pars postica. Infra titulum est foramen (diam. 13) cymatio inverso cinctum, effigie aenea olim exornatum, ex quo aqua edebatur, quae per tubulum canali in parte antica excavato immissum adducebatur. Litt. 3–2; puncta triangularia sursum directa. Rep. a. 1991 in effossionibus institutis in *C/ Ramírez de las Casas Deza 13*, muro aevo Arabum exstructo insertum; proxime inventa sunt decumanus stratus cum cloaca et fundamenta fontis (cf. *plano* apud Hidalgo Prieto 1993); servatur apud *Servicio Arqueológico Provincial*; mihi descripsit VENTURA et im. phot. misit, contuli a. 1991.

[L(ucius)] Corneli[us] - f(ilius)]

Serg(ia) o aed(ilis) o Hvir

(vac. v. 1)

lacus o siliceos

effigies aeneas

de o sua o pecunia

fecit

Tab. 7 fig. 1

Bermúdez – Hidalgo – Ventura 1991, 291–308 cum im. phot. tituli et im. del. fontis, qualis fuisse videtur; R. Hidalgo Prieto, in: *Arq. urb.* 1991, n. 36 cum im. phot. et *AAC* 4, 1993, 91–134 cum im. phot.; Ventura 1993, 24–25 cum im. phot. (ex eis *HEp* 4, 1994, 287).

2 litt. G hasta recta circulo sine angulo addita et curvata est, cuius formae exemplar antiquius in Hispania non novi.

Cave ne supra v. 1 suppleas *aqua Augusta* ad exemplum tituli praecedentis, nam superest plani superioris frustulum saltem neque videtur insuper collocatum fuisse saxum alterum. – 1 suppl. editores ad exemplum tit. praecedentis, cuius lapidem pilam fontis publici putaverunt, unde aqua effundebatur in lacum siliceum, recte sine dubio. Verbis *effigies aeneas* indicari videntur et ipsum ostium ornatum et fortasse statuæ circum fontem positæ.

Ex litterarum et punctorum formis titulum aevo Augusti tribuerunt editores, quo quidem tempore aqua Augusta facta vel immo incohata esse videtur, sed fontes publici etiam tempore posteriore instituti esse possunt, velut Tiberio principe, in cuius aetatem litterarum formae aptius quadrant.

A. U. S.